

O pax dia! ð dia Fides! ð dia Voluptas!
 Dulce mihi in vestro vivere, dulce mori.
 Vos sed enim Astra, Astra, Heroes sive estis, Olympo
 Exuviis positus quos pia misit humus;
 Sive agitis coeli gentilia numina; saltem
 Nunc matri solitos exhibitote choros,
 Artificique rotas hoc vestras vertite canpu,
 Quo festum sueltis percelebrare diem.
 SCHONAICHUM interea, Tellus, reverenter habeto,
 Quem vivum adscribit Luna polusque sibi.
 Illum ætas omnis famulari vertice adoret:
 Illum omnis sexus voce manuque colat.
 Illi & Hamadryades & Oreades undique plaudant,
 Nympharumque lacus, Oceanumque mare resultent,
 SCHONAICHUMQUE; ocre, SCHONAICHUMQUE; antra
 SCHONAICHUMQUE Orbis binâ theatra canant.
 Tu quoque SCHONAICHI, GRUTERUM agnosce furentem:
 I carias ultra transit erro vias.
 Si spes Luscinia, si Cyeni subtrahit alas;
 Non pelago ille quidem nomen inane dabit:
 Sed supra Hippolyti faciem lacer, heic miser atque heic
 Hercini nemoris sanguine pascet aves.
 Si tamen ingrati fas sic delere reatum;
 Qualiscumque venit, grata ruina venit.

Errata typographica.

*A 2 B. l. 3. conquiritissimam. Ibid. l. 14. Expromam. F. A. l. 27.
 temperamento. F. 4 B. l. 27. sponsalities. H. A. l. 15. multimodis. Reli-
 quas minutias cordatus lector ex se benigne corriget.*



EXSEQUIÆ;

ILLUSTRI ET GENEROSO VIRO AC DN:

DN. GEORGIO A SCHÖNAICH L. B.

IN CAROLATO, BYTHOMIO ET MILCAVIA;

DN. IN AMPTITZ ET NENCKERSDORF & c.

II. AUGUSTISS. CÆSAR. CONSILIARIO ET PER

SILESIAM ET LUSATIAM UTRAMQUE

CANCELLARIO;

D. XIII. M. MAIL. AN. cl. 10 CXIX.

HABITÆ.



BETHANIÆ

Typis Johannis Dörfferi.

A D
ILLUSTREM ET GENEROSUM
D N. D N.

JOANNEM A SCHONAICH,
L. B. in Carlat, Beuthen & Milaw / Dn. in Amptiz &
Nenckersdorff / Schlaupitz & Altendorff / &c.
Defuncti Baronis Heredem & Succes-
sorem meritiss.

JANE, tuæ stirpis Flos inclute; Méne Clientem,
Illum Unum vestri sanguinis eximium;
Non posse exsequias magni decorare PATRONI
Incoràm, & lento funera tanta gradu?
Sic visum superis! nec nostra obscura voluntas
Est tibi scis; corpus ferre negare pedes.
Quod præsens igitur nequeo præstare; Camœnis
Absens præsto meis; tu modo Magne fave!

TOBIAS DE SCHWANENSEHE ET
Bregoschitz Cognom. SCULTETUS; Hæreditar. in
Hirsfelda &c. II. IMPERATOR. ROMANOR.
Consiliar. & Commiss. Augustalis Palati Comes;
Fisciq; Regi per Silesiam & Lusatiam Inferior.
Patronus & JC. 1744



I.
MONODIA.

Scribitur Amphion scopulos animasse canendo,
Et rigida in Muros saxa vocasse lyrà:
At mihi si qua foret blandæ in Testudinis usu
Gratia; si Cantus vis animata mei;
Non ego Thebanas animarem carmine Turres;
Nec traheret rupes pectine nostra Chelys;
Sed Tibi Magne Baro, quem nunc ploramus ademtum,
O Patriæ columen; præsidiumque meum!
Dulcisona attraherem testudine tempora vitæ
Longa Novæ; Novus ut protinus ossa calor
Sponte sua intraret; vegetasque in corpora vires
Sufficeret, queis non ulla senectæ foret:
Non certè Amphion, non me sic vinceret Orpheus;
Ille licet scopulos traxerit; iste Feras!
Nam quamvis vix ipse redux à limine mortis,
Quæ fuit, heu! nostris proxima sæpè oculis;
Ægra traham titubante etiam vestigia gressu,
Corpore languenti; vividiore animo;
Si tamen, ò Patrone, tuis adjungere fatis
Possẽm aliquid; vitæ vel revocare dies:
Non modo blanda novas aptarem in prælia vires;
Sed tibi de vitâ portio magna meâ
Cederet ultrò etiam: sic te meruisse fatebor
De me: deque aliis, publica, priva, docent.
Heu! quo nunc Pelagi fluctu, quo turbine cœli,
In mediis Navis publica fertur aquis!
Quis nunc Typhis erit? clavum quis in æquore rectum
Diversos ventos inter habere queat?

O bone

O bone! Tu poteris, tam leni pectore, & usu
Cognite multiplici! si modò vita foret.
Patria Te luget! Te CURIA mœret ademtum!
Te fora Justitiæ; Te pia Tempa gemunt!
In primis Tua Te *Bethania* plorat! & auget
Stagnantes lacrumis ipse Viadrus aquas!
Hinc tot jam soles per prata boumque labores,
Angusto exclusus margine, mœstus abit.
Sumite lugubres, feralia munera, vestes;
Quos *Schönaichiadum* protulit ampla domus;
Flos vestri heu! cecidit generis! jacet illa *Corona*
Quernea, quæ vestris eminent in clypeis!
Vos etiam fata heu nimium properata Patroni,
Guttalides Carmen quos docuere Deæ;
Flebilibus lugete modis! gratissima talis
Esse solet pietas, ob benefacta viri.
Ille quidem dudum cœlesti sede receptus,
Angelicis audit carmina mixta sonis:
Conjunctusque Patri, geminis & Fratribus, inter
Mille piæ animas, gaudia latus agit.
Nec nostras repetat sedes, licet optio detur;
Perpetuis mutans dona caduca bonis.
Fama autem Nomenque Viri laudesque manebunt;
Dum Viader lentis in mare curret aquis.
Me verò juvet ad Tumbam; bona dicere verba;
Patroni ut recubent molliter ossa mei!
Nec sit dedecori, tumulo super addere Carmen;
Et dare vere novo lilia mixta rosis.
Tempus erit, quando è fibris arentibus ultrò
Hac ipsa surgat *Florida Quercus* humo!

Sequitur

2.
SEQUITUR
INSCRIPTIO FUNEBRIS;

Quæ in Quatuor distinctis Tabellis
Sandapilæ Schönaichianæ
expressa est;

EJUSDEM SCULTETI

In I. Tabella.

CHRISTO SERVATORI S.

ILLUST. AC GENER. DN. DN. GEORG. A SCHONAICH
LIB. B. IN CAROLATO, BETHAN. ET MILCOVIO;
DOMINUS AMPTICH, NENCKERSDORFII ET SLAUPITHII;
II. AUGUSTISS. CÆSAR. ET IMPERATOR. CONSIL.
REGIUS PER UTRAMQUE SILESIAM ET LUSATIAM CANCEL.
EX PERVETUSTA SCHONAICHIOR. FAMILIA
ANN. SALUT. dñ. b. LVII. D. VIII. M. OCTOBR. NASCITUR;
CUMQUE A PRIMA STATIM ÆTATE
ET VERÆ IN DEUM PIETATI
ET STUDIIS LITERAR. ERUDITIS
DOMI FORISQUE OPERAM NAVASSET SEDULAM,
MAGNAQUE JUVENTUTIS PARTE IN AULA CÆSARIS
EXACTA SINGULAREM ADDIDISSET EXPERIENTIAM;
UTRIUSQUE ET PIETATIS ET DILIGENTIÆ SUÆ
FRUCTUM TULIT MERITISS. ET UBERRIMUM.

In II. Tabella.

CONJUGIO NAMQ; LECTISS. ET FORTUNIS AMPLISS.
ITA A DEO ORNATUS ET AUCTUS FUIT, UT HABUERIT
UNDE CEU JOSEPHUS ALTER ET PARENT. DULCISS.
ET FRATR. CARISS. TOTIQ; FAMILIÆ HONES. CONSULERET.
PRIMUS SOLERTIA IN RE OECONOMICA INIMITABILI
LOCA PLANE DESERTA PALUDOSA ET INVIA
AD CULTURAM REDEGIT LONGE AMOENISS.
AGROS AUXIT LATIFUNDIIS ET PASCUIS LÆTISS.
COLLES ORNAVIT HORTIS ET VINEIS FERACISS.
MAPALIA QUONDAM ÆDIBUS MAGNIFICENTISS.
ARCEQ; MUTAVIT SPACIOSISS. ET SPLENDIDISS.
DELVBRVM IPSI ARCI CONTIGVVM EXTRVXIT SPECIOSIS.
GYMNASIUM BETHANIÆ LITERARIUM SUMTIB. MAXIM.
FUNDAVIT INSTRUXITQUE COLLEGIO, OPEROSISS.

OPPIDUM IPSUM MUNIENDUM EXORSUS FOSSA ET OPERE,

ID TEMPLO, FORO, CURIA, XENODOCHEO PUBLICO

ALISQ; ÆDIFICIIS DECORAVIT ELEGANTISS.

In III. Tabella.

EA VERO IPSIUS VITA FUIT EA INTEGRITAS,
EA IN REB. POLITICIS CUM ARTE CONJUNCTA PRUDENTIA;
UT NON SOLVM PROPINQVI, AMICI, VICINI ILLUM FE-
CERINT MAXIMI,

EJUSQ; CONSILIUM HABUERINT INSTAR ORACULI:
SED ETIAM RUDOLP. II. ET MATTHIAS I. CÆSAR. GLORIOSISS.
EUM AD CONSILIA VOCAVERINT ET HONOR. AMPLISS.

AC ILLE QUIDEM EUM ADHIBUIT CAMERÆ SUE SILESIACÆ;
HIC VERO IPSUM IN AULA SECUM ET A LATERE HABERE VOLUIT
REBUSQ; SILESIOR. ET LUSATOR. PRÆESSE GRAVISS.

UTRINQ; REIPUBLICÆ GESSIT
FIDE BONA, STUPENDA INDUSTRIA,
JUSTITIÆ ADMINISTRATIONE INTEGERR.
CUIUS LABORES ET CONSILIA EO SPECTARUNT OMNIA

UT BENE ESSET PATRIÆ;

QUIETA STARET RESPUBLICA;

TRANQUILLA FLORERET ECCLESIA;

UTQUE DEO SUUS CONSTARET HONOS;

SUA CONSTARET MAJESTAS CÆSARI.

In 4. Tabella.

MORIT. VITÆ, LABORUM ET HONORUM SATUR,
AN. CL. 13. C. XIX. D. XXV. M. FEBRUARII
CUM VIXISSET, ANN. LXI. MENS. IV. D. VII.

SINCERÆ IN DEUM RELIGIONIS
FIDELIS IN PRINCIPES DEVOTIONIS
PRÆCLARÆ IN PATRIAM AFFECTIONIS
MAGNÆ IN ECCLESIAM ET SCHOLAS PIETATIS,
PROMTÆ IN PIOS, LITERATOS, EGENOS LARGITATIS,
SUMMÆ IN FAMILIAM SUAM ET DOMESTICOS CARITATIS,
PARATI DENIQUE IN OMNES OFFICII ET HUMANITATIS
AD OMN. POSTERITAT. RELICTO EXEMPL. MEMORABILI.

JOH. A SCHONAICH EX FRATRE NEPOS AFFECTIONE FILIUS
EX TESTAM. NUNCUPATUS ET INTER VIVOS DESIGNATUS UNICUS
IN LIB. BARONATU HERES, SUCCESSOR, FILIUS
PATRUO, PATRONO, IMMO PATRI OCULISS. CARISS.
CUM DESIDERIO ET LACRUM. P.
EJUSQUE MORTALE QUOD FUIT,

H. M. C.

PSALMO CXII.

IN MEMORIA ÆTERNA
ERIT JUSTUS.

IN VEXILLO GENTILITIO FUNEBRI

Præter Inscriptionem Germanicam,
Eamq; Elegantem & argutam,
Hæc quatuor Emblemata
visuntur.

I. Primum repræsentat lychnuchum in mensula positum,
in quo candela semiextincta & jam moritura cernitur,
cum Lemmate;

ALIIS INSERVIENDO CONSUMPTUS EST.

II. Secundum repræsentat Trophæum in ramoso stipite, ex
Cassidè, Thorace Clypeo & gladio constans; supernè bra-
chium è nubibus imminet, manu fertum ex quærnea fron-
de Galeæ impositurâ; cum Lemmate;

BONUM CERTAMEN CERTAVIT.

III. Tertium repræsentat exuvias serpentinas noviter deje-
ctas; una cum serpente capite erecto & ore trifulco conspi-
ciendo; cum Lemmate;

MORS HÆC REPARATIO VITÆ EST.

IV. Quartum repræsentat ambitum seu formam Urbis qua-
dratam in nubibus, luce tamen circumfusam; cum Lem-
mate;

POLITEUMA NOSTRUM IN COELIS EST.

B

EIDYL-



4.
EIDYLLION VI
Ejusdem SCULTETI.

SILESIAE magnum QUERCUS FORMOSA per Hortū
Stabat, honoratis adspicienda comis.
Subter eam crebæ pecudes, armenta, Feræq;
Pascebant; foliis multa habitabat avis;
Inter Hamadryadas Charites viridesq; Napeæ
Pieridesq; ipsæ ducere sæpè choros.
Illa viris etiam Doctis alimenta per artes,
Non umbras solum per fugiumq; dedit.
Frangitur heu! vento sed FORMOSISSIMA QUERCUS;
Destituitq; Homines Destituitq; Deos.
Mox tener è veteris Quercus radicibus exit
SURCULUS; in tonso vertice; propter aquas
ARX CAROLINA; tuas queis se Pater ODERA jactat;
ODERA, qui prisco tempore SVEVUS erat.
SURCULUS Hic nobis utinàm sit salvus ab æstu
Et vi ventorum, frigoribusq; malis!
Unus erit, BELLÆ QUERCUS sarcire ruinam,
Qui queat, intactis lætus ovansq; comis!

Ita voceo, ita precor
SCULTETUS.



PIÆ LACRYMÆ,
AD FUNUS

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI
HERÖIS,

Dn. GEORGI á SCHÖNAICH,
LIB. BARON. BETHAN. CAROLATI,
AMPTIZII, MILCKAVIÆ ET
NENCKERSDORFII &c.
Sac. Cæs. Mat. Consiliarj & Cancellari per
Utramque cum Siles. cum Lusar.
meritissimi &c.

*Omniū bonorū cum luctu & communis
Patriæ querimoniã*

Die XXV. Februarij Anni MDCCXIX.
piè demortui,
postremi officij ergò
XIII. Mal ann. ejusd.
ab

Illustris illustri ejus magnificentia con-
stituti & dotati

GYMNASII PROFESSORIBUS ET
PÆDAGOGI PRÆCEPTORIBUS
F U S Æ.

EXSCRIPTÆ

à

JOANNE DÖRFFERO GYMNASII TYPOGRAPHO.